

S. Cyrill.

Isai. 23.

Mons in vertice montium Deipara, a qua omnes illuminati.

S. Greg.

772

773

to. 6. Concilii Ephesi. c. 6. sic Mariam alloquitur: Salve Virgo, per quam universa creatura idolorum vesania detenta ad veritatis cognitionem perducta est. Et quod præclarius est, ad Deiparam spectat illud Isaie vaticinium c. 2. ubi de Ecclesie fundatione, & concursu magno undique genitum ad illam futuro: Et erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluem ad eum omnes gentes. Ad quæ verba S. Gregorius in lib. 1. Regum c. 1. pie arbitratur, Virginem matrem ab Isaia appellari montem in vertice montium; quod sese attollat longè super omnium Sanctorum merita, & sapientiam: Mons in vertice montium fuit; quia altitudo Mariæ super omnes sanctos refulsit. Ferendas sursum ad hunc montem non invitas, sed faciles, omnes gentes antea idolatriæ tenebris involutas, ait Vates. Unde, quæso, gentes à Christiana fide alienæ, aliæ a seipis sunt? unde ad cœlestia erectæ tanto impetu? Certè in illo verbo fluent latet mysterium: nam Hebraicè est nabar, quod significat (ut observant Complutenses in tuo dictionario) illuminare, illustrare. Isai. 60. tunc videbis, & afflues. Hebræi legunt; videbis, & illuminaberis. Et Pl. 33. respicite ad eum & illuminamini. S. Hieron. in Psalterio: respicite ad eum, & confluete. Neque illuminationem quamcumque significat, sed illuminationem per scientiam: nam ab eo verbo fluit vox nebiru, quæ scientiam significat, eò quod est lumen intellectus. Unde commodè Isaie verba efferas: & illuminabuntur ab eo, seu illuminabunt sese ad eum omnes gentes: Ac si dicat: current ad Ecclesiam, current ad Virginem, current ad Christum per Virginem omnes gentes, nationes universæ, ipsius Virginis illuminatæ scientiæ, & ab ipsa ad veritatis cognitionem perductæ. Hoc totum Mariani magisterii, & doctrinæ opus est; illique acceptum referri debet.

130 Venio ad Apostolos, Ecclesie Principes & omnis nitidioris sapientiæ, ac cœlestis doctrinæ Coriphæos. Hi, duodecim stellæ sunt Virgineo vertice incumbentes, quibus formosum, & gloriosum conspicitur ejus caput. Nisi præstet, sidera duodecim ad Apostolicum Symbolum referre, quod duodecim fidei veritatibus certò constat, quas ex Mariano ore didicere, uti etiam Evangelistæ Evangeliorum seriem. Subinde Idiota lib. de Contem. Virg. c. 3. Virginem sic alloquitur: Doctrix fuisi Doctorum, & Magistra Apostolorum; unde & B. Lucas, cui inter ceteros Evangelistas descriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur, Evangelii seriem à te Virgine Maria didicisse traditur. S. Ildephonus ser. 2. de Assumptione Evangelistam illam appellat: & à S. Anton. 4. p. tract. 15. appellatur Apostolorum illuminatrix, & Magistra, & à Ruperto lib. 1. in Cantica, Magistra Magistrorum, id est, Apostolorum: cujus Consilii usi Apostoli sunt ad res fidei definiendas, ut idem Abbas statuit, & probat noster Castro in Historia Deiparæ cap. 19. n. 7. & 8. constat ex Flavio in sua Historia, anno Christi 34. ubi ita Sacra Virgo consilio, luce Doctrinæ, & venerabili vitæ exemplo, Collegio præsidet Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non ejus consilio, ductuque gerant. Unde Rupertus lib. 5. in Cantica: Pulcherrimum igitur erat ad ostium veritatis, & consulendum oraculum, Spiritus sancti, scilicet

Rupert.

sacrarium pectoris tui, ut viva voce omnem necessariò tenendam demonstrares regulam fidei cum testimonio scripturarum, quas memoriter tenebas prophetissa magna. Sic etià quotquot sapientiæ Christianæ sidera sunt in hoc Ecclesie firmamento, multisciam cognitionem, & doctrinæ splendorem à Virgine hausere. Sic Dionysius Areopagita, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Ildephonus, Thomas Angelicus, Bonaventura, & innumeri alii à Deipara, habent sapientiæ thesauros.

131 Angeli quoque stellarum nomine indigantur Job. 38. 7. Cum me laudares astra matutina: & Apoc. 1. 16. Etenim est Angeli sidera sint jure suo fulgentissima, & in omni sapientia perfectissimi, nihilominus tamen à Deipara multa didicere & multipliciter illuminati sunt luce sapientiæ. Et quid mirum, cum Apostoli, & Apostolici viri sub Mariæ magisterio illuminaverint vero ac Theologico sensu beatas illas intelligentias, ut supra num. 118. dicebamus ex Apostoli doctrina ad Ephes. 3. 10. Hinc electa ut sol esse dicitur Cant. 6. 9. Quia sicut sol solus orbem illuminat sic hæc sola solidiori lumine & Angelos, & homines illustrat; uti interpretatur S. Petr. Dam. ser. de Assump. Cui conf. nat. S. Bernardinus to. 1. Concio. 61. In hoc est electa ut sol, scilicet ad irradiandum totam multitudinem Spirituum Beatorum. Et S. Ephrem. cœlestis disciplina in celum transmittatur. Et S. Bonaven. in Speculo c. 3. Se cum sua plenitudine Angelis communicat. Licet enim Deipara sit naturæ inferioris respectu Angelorum, in sublimiori tamen fastigio est, & Deo ipsi proximior, lucique inaccessibili immerfa; inde ergo habet quod Angelos illuminet: ipsi vero tanquam sidera à Virgine lucem sapientiæ mutuantes, caput Doctrinis suæ cingunt: non tam ut splendorem ei concilient, quam ut ipsorum geminetur splendor; quomodo dicebat S. Bernardus ser. ad c. 12. Apoca. Dignu plane stellis coronari caput, quod & ipsi longè clarius micat, ornet eas potius, quam eruetur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? Quid si ex his stellis una sit Mariæ Filius, de quo orietur stella ex Jacob? De eo quoque S. Ildephonus in l. de Virg. Mariæ: sub Maria disciplina insan versatur.

132 Denique, data sum mulieri duæ ala aquilæ magnæ, ut volaret. Opportunè satis ad rem præsentem subministrantur Deiparæ pennæ Aquilinæ. Quis enim nesciat, Aquilinam ob clarissimam oculorum aciem, fixoque obtutu solem intuendi potestatem, optimum esse sapientiæ, ac sapientis symbolum. Inde eos qui acri sunt præditi ingenio, & sapientia, Aquilas appellamus, es in Aquila. Datæ ergo sunt Virgini duæ alæ aquilæ magnæ, id est, cœlestis, & sublimis sapientia, qua indefesso intuitu immensos Divinitatis splendoris aspexit. Hæc enim sapientia, non vulgaris, sed omnium nobilissima, & super cœlestis designatur duplici articulo Græcè præfixo in voce Aquilæ, & in voce magnæ: quasi dicat, data sunt alæ illius Aquilæ, illius magnæ. Nisi per aquilam illam, illam magnâ intelligas Christum Dominum, qui ob immensitatem sapientiæ solet in litteris inspiratis, & à SS. Patribus aquilla appellari. Ut verò ostendatur Virginis Matris sapientia esse quam simillima Filii sui sapientiæ, Mariæ pennæ datæ dicuntur hujus aquilæ, hujus magnæ. Hujusmodi

alæ

alæ

alæ

alæ

Job. 38. 7.

Angeli per Deiparam illuminati.

Can. 6. 9.

S. Petr. Dam.

S. Bernar.

S. Ephrem.

S. Bonav.

S. Bernar.

Maria sub disciplina infans Deus versatur.

Data Virgini sunt Aquilæ alæ, id est cœlestis & sublimissima sapientia.

§. I.

Irretorto & indefesso obtutu, inftar aquilæ, Deû Deipara insuita. Isai. 6.

S. Bernard.

S. Epiphan.

alæ Aquilinæ Virgini datæ sunt, non quibus faciem suam obvelaret, ut Seraphim apud Isaiam c. 6. infinitam Dei claritatem minime perferentes; duabus enim alis velabant facies suas: sed quibus ad Deum pleno jubare micantem feratur perpeti volatu, inconviventibus oculis, ita ut profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quàm credi valeat, penetraverit abyssum, ut aiebat supra Bernardus. Rem totam illustrat S. Epiphanius Constantiæ Episcopus Ser. de laudibus Virginis, ita splendide: Maria Virgo plurium nominum, & multocula effecta est: Seraphim incomprehensa visionis, qua inventa est velamentum quoddam intellectuale corporis universalis Cherubim transcendens; illa enim avertuntur, cum nequeant spiritualem ignem divinitatis fixis oculis intueri: hæc autem oculis apertis fixè inveniunt incomprehensibilem, & somni expertem oculum Christi cum desiderio, & osculo salutabat. Exercitus Angelorum nec videre possunt, nec contingere; hæc verò labra labris conjungens incomprehensum salutabat. En tibi, qua ratione Dei genitrix volatu sapientiæ suæ, & irretorto, atque indefesso cognitionis oculo vel ipsos superet Seraphinos.

SECTIO III.

Eximia Deiparæ sapientia tunc primùm, & maxime enituit, cum primigeniam divinæ scientiæ obtinenda ambitionem, & originariam nostram ignorantiam obtudit in astuto serpentis capite.

Scientia Deiparæ infusa à sua Conceptionis momento.

S. Bernardinus.

133 UT quanta sit, quamque excellens Deiparæ sapientia perspicue innoscat, illud in primis disquerere operæ pretium est; nempe ex quo tempore hæc scientia in Virgine inceperit? Placet summopere illorum opinio, qui scientiam per se infusam Mariæ primo Conceptionis instanti deferunt. Quod sapienter probant & approbant nostri Suarez to. 2. in 3. p. disp. 19. sect. 3. & Salazarus de conceptione cap. 2. §. 3. num. 45. Ideò à probatione abstinere, ne actum agam; sat erit S. Bernardini Senensis verba referre ex to. 2. Ser. 51. ar. 1. c. 2. In prima sanctificatione quantum ad rationem & intellectum tanta Virgini claritas super infusa est, quod hæc septem perfectè intelligebat secundum quosdam. Primò naturam creatam rationabilem; secundò naturam creatam rationabilem; tertio naturam creatam spiritualem: quartò naturam increatam divinalem: quinto omnia, quæ erant figienda, & aspernenda: sexto omnia, quæ erant sequenda, & amplectenda; septimò per quem modum, & ad quantum gradum omnia essent odienda, & diligenda. Hæc scientia, & perfecta cognitio rerum (ut relati Auctores statuunt) quasi in excubiis fuerit, ne Maria ad culpam flecteretur: non enim cum ea cognitione potuerunt motus alii iudicium, & sacram mentem prævenire? quæ superiori lumine collucebant. In quo Maria Angelos ipsos superavit, qui in primo suæ creationis instanti quandiu viatores fuere, ab excellentiæ propria cognitione, & amore ita omnes pulsati sunt, ut nullus salus in eo momento non vacillaverit, atque nutaverit. Unde infusa Mariæ scientia, ab eo instanti perfectior habetur scientiâ Angelorum infusâ.

Originale peccatum ab immodica sapientia libidine principium duxit, atque à divina scientiæ ambienda serpentina persuasione.

134 Quod ut solidè efficiam, accuratè primo sacram Genesis Historiam, & verba cap. 3. ubi lucifer sic Evam ad peccandum induxit: Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum, & malum. Hoc ut facilius persuaderet, atque perfidiosissimam summæ sapientiæ appetendæ imposturam adornaret, appositam lucifer serpentis larvam induit, quem calidissimum, atque prudentissimum noverat. Neque abs re Historiam Scripturus, id observavit sacer Historicus cap. 3. 1. Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecit Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus? Ubi LXX. Interpretes serpentem prudentissimum dixere. Et S. Augustinus, sapientissimum. Igitur hoc larvatus callidissimo, prudentissimo, ac sapientissimo capite interior ille Draco, stygiolorum omnium scientissimus, atque astutissimus, expeditionem sibi viam munisse credidit, qua mulieri persuaderet, longè ipsam sublimioris, atque ad eò divinæ sapientiæ consecandæ, capacem esse, quando inferiora animalia rationis expertia, tanta cerneret calliditate, prudentia, atque ingenita intelligentia quodammodo polere. Inde igitur à primigenia illa affectandæ scientiæ divinæ persuasione, serpentis caput omni solertia, atque vafriæ compactum, ejusdem persuasæ sapientiæ invisum emblema, peccati que originalis infaustum symbolum evasit. Ut cum Adamus, universique nepotes infestum caput adversarii prospectassent, supremam illam summæ sapientiæ ambitionem in scelestissimo serpentis cerebro detestarentur: cumque illud ab invicta quadam, & sapientissima viragine conterendum audirent, non aliter noscent contentendum, quàm per oppositam sobriæ sapientiæ modestiam, qua Deipara superbæ scientiæ caput obrutum contunderet. Igitur antiquæ serpentis caput pro originalis peccati symbolo, pro persuasæ, & affectatæ divinæ sapientiæ emblemate, aptissimè in hoc vaticinio fuisse designatum, liquet ex ipso serpentis capite.

135 Caput quidem omni astutia, fraude, & nequitia conflatum, ut claret ex illis, sed & astutia & fraude conflatum. Hebraicam vocem Gharim Vulgatus vertit Job. 5. 12. malignum; & ibi LXX. versutum. Ude Aquila, & Theodotion in Genesi legunt serpens erat vavvavv, id est, malignus, versutus. Alii eam vocem Hebræam interpretantur, involutus, implicatus: id est, non mirrorum introrsum nequitiarum spiris, quam extorsum nodosis implicatus gyris. Oleaster involutum ait exinde esse callidum, quod callidus videatur involutus, ut ignores quid lateat in eo. Marinus Brixianus in Arca, cum prædicta voce interpretatus esset notari eum, qui ingenio ad quascunque res obeundas pollet, astutum, vafrum, versutum, versipellem; arbitratur originem vocis esse gharima, id est, æcerum, congeriem, congregationem: elegantè transla-

Genes. 3.

Locus Gallesis naviter & solidè versatur. Serpens sapientissimus & astutissimus.

Caput serpentis, originalis peccati symbolum.

caput serpentis omni astutia & fraude conflatum.

קרח

translatione, quasi astutus omnes cogitationes eo cogat, omnia concilia eo conferat, ut quod velit, obtineat. Itaque serpentem apellatum arbitror Gharum id est, callidum, malignum, versutum, nequitias dolisque plenum, & complicatum, atque praestigiis in volutum, imò versutiarum cumulum, fraudumque congeriem, technis, machinis, vasframentisque coacervatam. Ecce dignissimam improbo impostore serpentis larvam; ecce dignum tali patella opereulum, dignam tali mimo personam.

Stygii serpentis nequitia, & doli.

S. Greg.

Avitus.

Verba Serpentis mulierem pellentis.

Mulieris responso.

136. Ipsum jam simulatum stygium serpentem introrsus dispiciamus, atque larvati, hostis nequitias, dolosque retegamus. Etenim cum Evam ab Adami latere, a viri conspectu semovisset, ut observat S. Gregor. Thaumaturgus. Ser. 1. de Annunt. cum ad opportunas insidias dolose retraxisset assentationibus; postquam multa praelust perfidiosis mimis, postquam nutibus, gestulationibus, fictisque lenociniis loco amoenissimo, arbori gratissimae, haere arripit blandienti; jam tunc molli gressu ad arborem accedere, suscipere curiose, reptare ad truncum, ramos industriè versare, amoeniores submittere, atque ad Evam manum acclinare, poma etiam venustiora hinc inde ostentare, quietiam pulcherrimum offerre, ut canit Avitus lib. 2. in Genes. c. 8. Unum de cunctis lethali ex arbore malum detrahit, & secum nutanti protinus offert. Hujusmodi jam lenociniis delimitam, imò praestigiis blanditiis stupefactam, his tandem verbis adoritur: Cur praecipit vobis Deus, ut non comederitis de omni ligno paradisi? Quò tutius primam fraudem occuleret, versutissime ignorantiam praecipit simulat, quasi putasset ille omnes arbores illis fuisse interdictas, & quod assentatoriae artis erat, ab Eva cupe-ret verum edoceri. Interim simplicem faemnam ad aptatam quaestionem sensum pelliciebat, nempè ad injuncti praecipit rationes curiosius discutendas. Cur praecipit vobis Deus? Pagninus ex Hebraeo; Vere ne dixit Deus? Alii; Etiamne sic? alii; Etiam quod dixit Deus? Graeci: Quid est quod dixit Deus? Quae quidem sarcasmi praecipit explicant; quasi rigidiore mandato tanta creatura fuisset illigata. Priori hoc arriete tentare voluit adversarius obedientiae arcem, quam repetita machina conquassandam ominabatur; curiosa, inquam examinatione praecipit. Haud irrita serpentis spes, ut ex mulieris liquet responsione: De fructu lignorum, quae sunt in paradiso vescimur; de fructu vero ligni quod est in medio paradisi, praecipit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Grave accidisse sibi praecipit indicavit femina; ut docent Ambros. lib. de Paradi. c. 12. & Bern. term. de S. Andrea. Quod autem ad rationem praecipit spectat; mors ea est (ait Eva) quam inde nobis eventuram interminatus est Deus: ne forte moriamur. Ne, inquam, forte: nec enim sententiam praecipit satis exploratam habeo, an scilicet comminando, an praecipit definiendo injunxerit, sive autem de mortis executione Mulier dubitaverit, seu serpenti dubia sit visa; promptissime ille illam dubitationis notulam, ne forte, arripuit; arreptam verò in obfirmatam negationem hanc oppidò convertit: Nequaquam moriemini. Ut autem non mortis modò dubitationem, sed & memoriam callide

submoveret, aliam praecipit causam machinatus est, quam continenter ingessit.

137. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum, & malum. Quasi diceret: Hanc ne vobis arborem praecipit, prohibuit unam quasi noxiam praecipit, prae-tex-tus is superatus est: aliud in recessu laet: neque enim arbor lethalis est, quinimò arcanam quandam continet virtutem, qua si vel semel vescamini, in tantam sitis felicitatem provehendi, ut metipso Deo aequales prorsus evaseritis. Ubi primum pomum gustetis, tanta vobis scientiarum accessio fiet, ut quantumvis sapientes antea extiteritis, tunc primum mentis oculos aperuisse vobis videamini. Certè, ut reor, ex ipsamet arboris natura universum dolum vaserrimè contexuit Lucifer: quem ego sic interpretor. Cum intellectus phantasiae satellitio utatur, cumque hujus praestantia pendeat a sensiterio corporeo, inde fit, ut ad ingenii acumen ea conferant, quae corpus aptis afficiant qualitatibus. Ergo rationem, naturamque victus, quo utare, interesse aliquid ad mentis aciem, haud ignobile asserunt Philosophi: Plato lib. 2. & 5. de legibus, Galemus lib. de cibis boni & mali succi, Plinius lib. 11. c. 37. Averroes, lib. 5. de collectan. c. 32. Julius lib. 2. de natura Deorum, Lucianus in Macrobiis, & alii, quibus suffragantur nostri Comimbrienses ad l. 2. Arist. de generat. c. 8. q. 4. a. 1. & 3. Hanc igitur naturalem efficacitatem insuisse arbori scientiae ut cognitrices corporis facultates detergendo, depurgando, atque ad perspicaciam promovendo, mirum in modum ingenio proficeret, disertè docuerunt Josephus lib. 1. antiqui. c. Theophilus lib. 3. de Autolycom, contra Christianae religionis calumniatores, Nemesius Episc. lib. de natura hominis c. 1. Anast. Episc. Nicænus q. 24. in Scripturam, & S. Joan. Damasc. lib. 2. de fide c. 11. & orat. de sabbato. Quorum doctrinam sic intellectam, cerrè probabilem, minimè rejecissent. Suarez de opere sex dierum lib. 3. c. 21. n. 8. Bellarmi. to. 3. lib. de gratia primi hominis c. 27. & ejus defensor Adamus Contgen; praesertim cum facer textus haud leviter faveat. Ergo nativam hanc hujusce arboris vim, corpoream quidem, ac proinde corporeis efficacitatis terminis coercendam, quae ad ipsam animam, ejusque spirituales potentias nulla actione pertingeret, cum astutissimus hostis considerasset, eandem ille pomorum vim, immani quidem mendacio, sed quod ex natura arboris verisimilitudinem aliquam praesertim ferret, augendam porro & amplificandam suscepit: Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum. Quasi dicat: Etsi tibi scientissima violare, hoc tamen unum te praeterit, hoc te tuus celavit opifex, suae tenax gloriae, & sapientiae tuae parcus. Cernisne hanc arborem? Callidè probe vires, quibus ingenio inservire potest? Haud corporeis illa facultatibus tantum subvenit; altius latet mysterium, potentior longè, ac validior pomus efficacitas inest, quae us corporeis viribus internuntius eo usque ingenium depurgatissimum reddat, ac subtilissimum, ut ad divinum fermè acumen accedat.

Suadet Draconem vici potum ob scientiam accessum dicitur.

Qua ratione natura victus interfit ad mentis aciem.

138. Vidit ergo mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspe-

ctusque

Vesitum E-

Aristor.

S. Thom.

Ex culpa originali, mentis ignorantia. Plal. 48. 13.

Deipara sapientia modesta, sincera, simplex, opposita originaria ignorantia, quam in draconis capite obidit.

Etique delectabile; & tulit de fructu illius & comedit. Primum, attentius exploravit Eva, an re vera aliquid in fructu noxium deprehenderet. Sed cognovit tandem, utile quidem esse lignum ad vescendum, id est, commodum valetudini, non lethale, non noxium; uti explicant non pauci. Secundò, vidit quòd esset pulchrum oculis, aspectuque delectabile. LXX. pro extrema hac parte legerunt; speciosum ad intelligendum. Ex Hebraeo Pagninus: Concupiscibile ad intelligendum. Sed cum verbum sit conjugationis hiphil, perinde valet, atque concupiscibile ad faciendum intelligere, ut vertit Oleaster. Corporeum id totum erat, quod pomo inerat, nec nisi corporeis facultatibus, vel ad victum utile, vel ad cognitionem praestans; sed tamen Eva Serpentis jam habitu siderata, atque divinae scientiae ambitione quodammodo fascinata, vel fidem assentatori habuit, (quisquis enim ita judicat, sicuti est affectus, ait Arist. 2. Ethico.) vel certè rei periculum fecisse voluit, an reverà majorem sibi sapientiam pomum conciliaret: Et tulit de fructu illius, & comedit, deduxitque viro suo, qui comedit. Tantum conjux cum conjuge blanditiis valuit, tantum vaserrimus ardore fraudibus potuit, tantum nequissimus impostor dolis obtinuit, ac praestigiis; tantum divinae scientiae ambitio effecit.

§. II.

Originalis culpa, superba summae sapientiae ambitio, per Deiparam concitata.

139. Ex his claret, Originalem culpam ab immodica sapientiae libidine profu-xisse, ab illa scientiae ambiendae divinae diabolica persuasione. Unde S. Thomas Opusc. 2. cap. 190. qui in uno hoc Eva & Adami facto multiplex peccatum admissum agnoscit; inter alia enumerat curiositatem, qua scientiam ultra terminos sibi praefixos concupivit: & de Adamo ait: Allectus fuit promissione diabolici, excellentiam, & scientiam indebitè appetendo. Ex superba hac summae sapientiae ambitione evenit, ut Adamus, & Eva insipientissimi evaderent, & stupidi instar jumentorum, ut purpureus Cantor ait Plal. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Unde inter alia mala, quae peccatum originis infelici fecunditate profudit, unum est mentis ignorantia, tanta quanta ne bestiis quidem cernitur, ut notat S. August. l. 11. de pecca. mentis, & remis. c. 38. nec non insignis quaedam ingeniorum tarditas, atque etiam fatuitas, cum qua aliqui nascuntur. Qua de re consule nostrum Bellarm. t. 4. lib. 6. de amisso, gratiae c. 8. & sequentibus. Jam ergo ad institutum nostrum.

140. Existimo planè sapientiae nomine condecorari Virginem Matrem, sapientiamque appellari, praesertim omnibus hominibus, & Angelis a scientia per se illi infusa in primò suae conceptionis instanti; atque eo in primis hanc sapientiam spectasse, utpote modestam, sinceram, simplicem, columbinam; ut tam callido, tam fraudulento summae ambiendae scientiae persuasori, atque originariae nostrae ignorantiae improbo auctori opponeretur. Itaque haec illius sapientia ferè immensa quasi in excubiis fuit ne Maria culpam flecteretur; sed potius

in callido stygii Draconis capite primam obfistere divinae scientiae ambrosam affectationem & insipientiam omnem peccato originali adfoctam. Huc spectat magnum illud signum Apocalypticum, mulier videlicet sole vestita, stellis coronata, & lunam sub pedibus conculeans: quod simulachrum assumere solet Ecclesiae consensus ad comprobendam immaculatam Virginitatis asserionem. Atqui cum ex sapientiae, & doctrinae symbolis, sole, & sideribus, illius vestis consistit; sapientissima apparet, & ejus infinita propemodum sapientia commendatur, ut antelapso capite statimus. Certè in eo maximè tanta haec sapientia enituit, & sapientissima virgo habenda, quòd lunam calcet, & pedibus illi insidet. O melle hinc dulciora concinnissima Bernardi verba! Insipientia omnis longe sub pedibus ejus est. Imò verò unicus ille stultus, & totius stultitiae princeps, qui verè mutatus ut luna sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariae pedibus conculeatus miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura. Quasi dicat; in eo imprimis se mortaliū omnium prudentissimam, & sapientissimam ostendit Deipara, quòd sapientia sua modesta & sincera callidissimum serpentis antiqui caput contriverit, à quo omnis originaria insipientia, & stultitia, ambitioaque divinae scientiae affectatio. Nihil adversus sapientissimam Virginem valere sapientissimi Luceferi, & prudentissimi Draconis dolose assentationes, lenocinia, nequitiae, vasricies, doli, machinae: omnis enim illius sapientia stultitia est si cum Mariana conferatur sapientia: stultus ille est, & totius stultitiae princeps; Maria verò sapientissima & totius sapientiae dispensatrix: cui ab instanti suae conceptionis scientia est infusa, qua cognovit per quem modum, & ad quantum gradum, omnia essent odienda, & diligenda; ut dicebat supra S. Bernardus Senensis.

Mulier Apocalypticæ.

S. Bernard.

S. Bernard.

§. III.

Vaticinium de Deiparae immunitate, sapientia sua astutum Draconis caput conterentis.

141. Sed enim, cum Bernardinus institutum nostrum fulciat ex illis Genesis verbis Dei ad serpentem: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus; illa expendere haud inopportuna erit: conabor tamen rem copiosam contrahere in pauca, quae argumento nostro deserviant. Atque in primis eo spectant illa verba, ut antiquum serpentem, cujus astu originale peccatum ingressum est in orbem terrarum, diris devoveat supremus Judex. Summa cruciatus est, ut inimicitias Virginitatis invitae, ac sapientissimae victus cogatur subire. Durum ab illa contra prudentissimum, sed callidissimum draconem, suscipitur certamen, insanum & totius stultitiae caput conteritur; interim victricis heroinae calcaneus, quae illa praedita erat sapientia, irritas stygii colubri insidias deridet. Deinde statuo, insignem hanc mulierem hoc vaticinio promissam esse Deiparam Virginem; neque hunc esse sensum solummodo mysticum (ut nonnulli volunt) sed verè literarium:

Genes. 3. 14

ut